30 Juni 1517.

Fabianus dei gratia
Episcopus Warmiensis

Venerabiles domini fratres sincere dilecti, Consolationem vestram, officio et pietate plenam, quo debuimus, accepimus animo, vestraque in Nos studia, pietatem et affectionem, non possumus non admodum commendare, quibus in tanta rerum ac temporum perturbatione, tot molestijs et difficultatibus, quibus eis quidem non fractissimus, at certe non parum grauat, aliquantisper recreamur, Quis enim per omnipotentem deum, tam saxeus, ferreus aut chalybeus est, qui si non quidque haberet hominis, in tanta perditissimorum latronum nequitia, et expilationibus, ac pauperum in deuastationibus, non grauaretur, non pateretur, non denique angeretur? Id fortasse latronibus non venit usu, qui duris cautibus progeniti, tygrium ubera lactuerint. Nobiscum longe res secus agitur, qui non alienis haec fieri, quod propter dolorem non ferremus, sed nostris, ijsque fidelissimis et laborantissimis inferri pauperibus, conspicimus, Rem domino deo committere cogimur, cuiusque in hac re, quamvis fortasse Vos decipiat, non deseret tamen, de inimicis et hostibus meis praestolari et videre dignam et iustam vindictam et ultionem, qui cum Vos patientes confouebit, et tandem in sanguine sceleratorum iusti manus suas abluant, praestabit, Nobisque etsi non parum contribulatissimis, gratiam et non paruis animo frangamur largietur haec hactenus. Ad alia nunc vertamur necesse est, Quod milites pro vestro defendendos qui et Sueuis periculis se sibi et volentes, valeant exponere, conquirendum Nobis et vobis, modestissime videtur, Nosque modo idipsum facimus, ac et militem contrahamus, intermittimus nihil, Vobis idem faciendum esse consulere (quum a Nobis id postuletis) non desistemus, Videmus enim, proh dolor, hominum lentitatem ne dicamus durius, oscitationem aut socordiam, Itaque si Nobis et vestris consulere, subvenire, ac prodesse volueritis, ipsi strenuam aratri manum capiamus conveniet, cumque res ipsa et tempus interpellat, Quare et et dominis Capitaneis, ac Ciuitatibus, non modo scribatis, sed legatum quoque ex gremio vestro, mittatis, expositurum pericula et incommoda extrema, quoque modo, res ipsa nisi succurratis funditus strepitioque subuertatur, admodum consulimus, Credimusque si dominum Mauricium ad Gedanenses, Elbingenses, et Capitaneos miseritis non esse incongruum, qui Gedanensium cum istic, propinquitate sanguinis ac clientela polleat amicorum, facilius ceteris possit in quamcunque volet, sententiam trahere, Petendi sunt a Capitaneis et Ciuitatibus milites equites et pedites, eiusque quod tot mala sua causa patiamur, indicandum est, Ceterum numerum eis militum ante conventionem, non praefinietis, Tum enim Vos de numero superque cum eis agemus, Conventio autem, ante constitutum terminum, agi nequaquam poterit, Cum et is terminus, ex multis quas a Nobis audietis causis, satis sit angustus,

Datum in Arce nostra Heylsbergk ultima Mensis Junij, Anno etc. xvij.

6

Venerabilibus dnis prelatis et Cano-
nicis totiq Caplo, ecclie nre War-
mien, fratribus nobis sincere dilectis

6v